

108

Expellit etiam post mortem: quia elemosina est scutum et lancea contra eum. Ecclesiastici decimonono Super scutum potentis et super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit. Quartus demō est beelzebub qui interpretatur vir muscarum qui preest odij et delectationibus immundis. Expellit per incantationem: id est per confessionem. Musce enim super carbones mortuos resident. super tepidos volitant. ignitos vero fugiunt. quia male temptaciones resident super cor in dei amore inflammatum. Iste demō ut dictum est expellitur per incantationem. id est per sacerdotalem absolutionem. Incantatores enim dei sunt ipsi confessores: qui serpentes infernales incantant quando super peccatoris caput absolutionem et benedictionem dant. et quia dyaboli scit se per confessionem expelli. ideo ipsam confessionem mittit et impedit. Ad similitudinem enim lupi non capit ouem. id est hominem per peccatum: sed dimittit ipsum ad ecclesiam ire. Nec per aurem: sed dimittit ipsum verbum dei audire. Nec per manum sed per mittit ad pauperes extendere: sed capit ipsum per gulam. quia impedit ne confessionem possit emittere sciens etiam quod per ipsam confessionem expellitur. primo etiam vulneratur. Unde dicit beatus Augustinus. Neque enim dyabolo aciores dolores infligimus quam cum pla-

gas peccatorum nostrorum penitendo et confitendo sanamus.

dominica quarta quadragesima.

Sermo primus.

Dixit ihesus trans mare galilee quod est tyberiadis et cetera. Iohannis sexto. Iste euan-gelium bis in anno in ecclesia recitatur. scilicet in ultima dominica: ante aduentum domini et hoc propter finem euangelij ubi legitur. Quia hic est vere propheta: qui venturus est in mundum. Et ista quarta dominica. xl. Et hoc propter principium euangelij ubi legitur. Erat autem primum pascha dies festus iudeorum. Vocatur autem dominica ista dupliciter. scilicet dominica de rosa et dominica de panibus. Causa autem prime appellationis est quia in hac die summus pontifex per vrbem portat rosam auream musco et balsamo impleta quam postmodum dat presbitero vrbis. Quare autem ista rosa portatur. de hoc potest triplex ratio assignari. Una est litteralis. alia est spiritualis. et tertia est moralis. Prima igitur ratio est litteralis. Prout etiam dicit beatus Innocentius papa tertius in quodam sermone. Quomodo corruptibile corpus nostrum ex minima fatigatione deficeret nisi quibus ipsius aliquid remedium recreationis reuer-